





1.

1.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

24.

25.

26.



35

DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS
DE
HORRORE IN FEBRIBVS
EXANTHEMATICIS
PRAESERTIM VARIOLIS SIGNO PLERVMQVE LETALI

QVAM
AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

1769
56

DANIELE WILHELMO TRILLERO
PHILOS. ET MED. DOCT.

CONSILIAR. AVL. ELECT. MED. PROFESSORE PRIMAR.
ET ILLVSTR. ACADEM. SCIENT. BONONIENSIS SODALI
FACVLTA. MEDICAE H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO
DISCEPTATIONI PVBLICAE

D. XVI. IVN. A. R. S. CIOIOCCCLXVIII.
HABENDAE

OFFERT

AVCTOR ET RESPONDENS
CHRISTIANVS GOTTHELF SCHATTE RVS

ARNOLDSGRÜNA VARISCVS
MEDICINAE CANDIDATVS.

WITTEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPS.

W. S. 1. a. 2. - 24





DE
HORRORE IN FEBRIBVS EXANTHE-
MATICIS, VARIOLIS PRAECIPVE, SIGNO
PLERVMOVE LETALI.

§. I.

Horror in omni febrè.



Quem, speciminis inauguralis loco, considerandum
atque exponendum duximus, horror, quatenus
in febribus exanthematicis, variolis praecipue,
prognosi instituendae inseruit, est symptoma,
febribus omnibus, siue sint acutae, continuae, ar-
dentes, putridae, exanthematicae, contagiosae et
pestilenciales, siue intermittentes ac intercalares,
commune. Quamuis enim cum febribus ita comparata res sit,
vt, quo frequentiores accidunt, eo abstrusior earum quoque
sit natura: tamen ex nonnullis phaenomenis diligenti observa-
tori certissime colligere licet, iis praesentibus, adesse febrim.
Haec sunt, quae febris essentiam constituunt, et, secundum im-



mortalis BOERHAAVII testimonium,^{a)} horripilatione, pulsu veloci atque calore absoluuntur. Innumeris paene quidem aliis febris stipatur symptomatibus; sed, cum haec omnia abesse possint, praesente febre, adesse, absente: haec tria sola, ut constantia atque pathognomonica signa, sufficiunt, ad internoscendum, a quovis morborum genere, febriles motus. Inter haec pulsus velocitas omni febris adest tempore, horripilatio contra et calor certis remeant horis; nisi, velut in intermittentibus, perfecta apyrexia locum habet.^{b)}

§. II.

Quis? Quo sensu?

De horrore igitur, ut signo in morbis quibusdam pernicioso, exposituri, nos quidem hac voce non eo, quem in philosophorum scholis obrinuit, sensu^{c)} uti, in dissertationis nostrae limine

a) De cognosc. et curand. morbis Aph. 563.

b) In ea pulsus quoque velocitas cessat, vel is saltem ad naturalem proxime accedit; nisi, disparentibus grauioribus tantum symptomatibus, verae apyrexiae speciem solum prae se fert, ut in continuis benignis. Eandem cessare quoque in intermittentibus, sub frigoris impetu, multi contendunt, v. g. *Hambergerus* in *Diff. de nat. febr. len. hab.* 1751. §. XXII. Quid? quod in ipsis continuis pulsuum modo celerem, modo tardiozem esse adfeuerauerit *Lommius* *Obseru. Medic. lib. I. p. 6.* Nos quidem, cum ad institutum nostrum plane non pertineant, has lites nostras non facimus, praesertim quum de iis nuperrime more suo, hoc est, doctissime, acutissime et vberissime egerit *Illustris ille*, et praeclaris in artem medicam meritis vere magnus me-

dicus, *Magnifici Praesidis* nostri amicus singularis, *Antonius de Haen*, in praestantissimi et vtilissimi operis, de *Rat. Medend. Part. XII. Cap. 3 et 4.* quae cuncta plus semel attentius legisse, neminem profecto poenitebit. Id tamen adnotasse iuuabit; hunc magnorum virorum disensum inde traxisse forsitan originem, quod, variorum temperamentorum nulla habita ratione, pulsuum debilem, paruum et exilem non optime a tardo atque raro separauerint. Immo pulsuum paruum plerumque fieri quoque celerem, testatur *Ficinus*, in *Semiot. p. 237.* qui et ibidem, p. 238. celeritatem pulsus esse certissimum signum febris, et sequi quamcunque febrem, et ex nullo signo febrem cognosci, nisi ex illa, multis contendit.

c) Quamuis neque tunc, omni in morbis periculo vacare, dici possit. Cum enim



limine adnotare, vix necessarium arbitramur. Quem enim, primo quasi intuitu, latere posset, physice hic sumtum esse horroris vocabulum? Aut quis est, qui numquam, aeri frigidiusculo expositus, hoc quidem sensu inhorruit? Adeo, vt et hac opera supersedere possimus, definitionem, definito longe obscuriorem, ^{d)} suppeditare. Nobis sit satis, differentiae tantum fecisse mentionem, qua horror ab horripilatione, leuiori, atque a rigore, vehementiori frigoris, quod percipitur, sensu distingui solet; qui vltimus gradus, vel cum tremore et concussionibus, leuioribus epilepticis insulibus haud raro non ab-fimilibus, vel cum immobilitate coniunctus plerumque deprehenditur. ^{e)} Quod tamen discrimen tanti non facimus, vt, quotiescunque horrorem nominabimus, sensu paullo latiori accepta voce, memoratos gradus exclusos velimus. Quin potius modo de horrore, modo de horripilatione atque rigore nobis promiscue erit sermo; praesertim quum differentia hic tantum sit, veluti inter maius et minus, causam et effectum, initium denique atque progressum. ^{f)}

A 3

§. III.

enim sit adfectus animi, quos, nimium commotos, et sanissimis corporibus frequenter mortis fuisse causam, obseruatum legimus, tristissimaque ipsi quotidie experientia docemur; nemo, nisi horum omnium ignarus, ire in contrariam partem adnitetur.

d) Quales fere omnes sunt, quibus frigus, cuius sensum horrorem dicimus, describi solet. Siue enim, defectum caloris illud esse, existimemus, siue, facta ad corpus humanum applicatione, partium ignearum vel defectum, vel motum atque attritum impeditum, frigoris nobis dare ideam opinemur; in vtroque forte casu nubem, quod aiunt, pro luno-

ne amplectimur. Conf. *Hambergeri* Diss. de frigore symptomat. Ien. 1752.

e) De qua re legi meretur *Gebleri* Diss. de Horrore vt signo. Lips. 1758. vbi omnia haec fusius explicata inueniuntur.

f) Recte sic docentibus *Dieterico*, in *Iatro Hipp. Foes* in *Oecon. Hipp. Gorræo* in definit. med. item *Castello*, *Brannon* et aliis dictionariis medicis, ceu notum. Inde forsitan subtiliora, quam vtiliora aut veriora esse videntur, quaeulse hic, praesertim aduersus ipsum *Platonem*, contrarium rectius statuentem, disputat *Galenus* Lib. de Trem. Rig. cet. Cap. in primis VI. Edit. *Opp. Charrierii* Tom. VII. p. 208 sqq.



§. III.

Intermittentibus magis, continuis minus frequens.

Quamquam autem horrorem, symptoma omnibus febribus, quaecunque demum sint, commune pronunciauimus; (§. I.) istud tamen ita dictum volumus, vt de intermittentibus in primis accipiendum hoc sit. In iis enim singuli paroxyfmi ab horrore incipiunt, calore pergunt, et sudore tandem finiuntur. Atque ea in re febris intermittētis praecipue consistit natura; ita, vt praeterlapso apyrexiae destinato tempore, nouus obortus horror, nouam instare febris accessionem, certiores nos faciat. Vnde HIPPOCRATES^{g)}: *quibus quotidie rigores fiunt, quotidie etiam febres soluuntur.* Longe aliter res contra euenit in continuis atque continētibus. ^{h)} Eas, postquam semel corpus inuaserunt, vno eodemque gradu pergere, donec finiant, vel finiantur, notior res est omnibus, quam vt multis aut suffulciatur rationibus, aut illustretur exemplis. Neque in iis novos subinde oriri horrores, nisi vel crisis, vel, si finistri fuerint ominis, mortem instantem, morbi saltem mutationem in deterius praenuntient, certum est.ⁱ⁾ Ipsa quoque horroris vehementia raro tanta esse solet, quam quidem in intermittētib; et, nisi grauissimus futurus sit morbus,^{k)} is, quo stipatae

g) Aph. 63. Sect. III. Οκίστατον ἐστὶ τῶν πυρεθῶν καὶ ἡμεῖς ἐπισημασμένους, καὶ ἡμεῖς οἱ πυρετοὶ λυοῦνται. Loquitur nimirum, recte id adnotante Heurnio, in Comment. ad hunc Aph. peculiariter hic de intermittētib;.

h) Quod quidem genus febrium speciatim ab Hippocrate sub πυρεθῶν, immo accuratius adhuc, καύματος, item καύου, καύουτος, vt et πυρεθῶν καύουτος nomine comprehendi constat; in quibus igneus quasi calor a principio ad finem vsque, sine vilo refrigerationis sensu, aegrum

exurit, vid. Galeni Gloss. Foesti Oecon. et Dieterici Iatr. Hipp. aliosque Lexicographos.

i) Quapropter recte horrorem, siue rigorem, in febrium continuarum decursu nonnumquam accedentem, duplicem, vel criticum, vel symptomaticum dixit Heurnius in Comment. ad Hipp. Aph. 49. Sect. III. Illum vero, quo intermittētium singuli paroxyfmi incipiunt, periodicum haud incondite appellauit loc. cit. Comment. ad Aph. 46.

k) In acutis enim, quo maius initio fri-



stipatae tantum non semper accedere solent, leuis potius horripilatio, quam horror appellari meretur. Quae res in causa fuisse videtur, ut, cum ab aegris haud raro non animaduertatur, qui se tunc nondum aegrotare arbitrantur, medicorum nonnulli, horrorem a febribus continuis, praesertim ardentibus abesse posse, vel potius debere, adfirmaverint^{m)}; initio sumto a subsequente exquisitissimo calore, quod tamen, si accuratius paullo rem perpendimus, a leui praegressa horripilatione rependendum potius erat.ⁿ⁾

§. III.

De quo nobis sit sermo.

Ac de illis quidem, febrium intermittentium periodicis horroribus, utpote ab instituto nostro maxime alienis, in praesenti nobis non erit sermo; quorum neque causas perscrutaturi, neque indolem, quatenus prognosi inde desumendae inferuit, exposituri sumus.ⁿ⁾ Missum et illum faciamus, continuarum prodromum nobis dictum; (§. praeced.) nihil enim ad rem nostram

frigus, eo periculosior febris. Testem habemus *Boerhaavium* de cognosc. et cur. morb. Aph. 623. Idem adfirmavit olim *Galenus* Comment. 2. in Epidem. 2. Text. 75. ubi dicit, quod rigor in principio vel significet febrem ex inflammatione viscerum, vel insignem malignitatem.

l) Sic *Galenus* de art. cur. ad Glauc. Lib. I. Cap. 8. continuarum febrium signa proponens, istud potissimum refert, quod non habeant horrorem, rigorem, aut frigus. Cuius auctoritatem secutus *Lommius*, *Obseruat. Med. Lib. I.* ubi de signis diagnostice febrium acutarum agit, horrores nullam facit mentionem. Atque huius vestigiis alii plures insistant, in primis *Hambergerus* in *Diss. supra laudat. de natur. febr.*

m) Idem testatur *Georg. Wolff. Wedelius* in *Pathol. Med. Dogmat. Sect. I. Cap. 8. p. 243.* *Desiniendum est*, inquit, *principium morbi a primo insultu; ut, si quis corripitur horrore, vel horripilatione, quod initium commune est omnium febrium, tunc incipit laborare febr.*

n) Quamquam in eiusmodi febribus, quae vitae raro insidias struunt, ex eorum breviori longiorique decursu, materiae morbosae mobilitati, vel immobilitati, viribusque vitae, integris adhuc, aut fractis et collapsis, originem debente, perito artis haud dubitanter praesagire licet, siue longiores futuras esse, siue breviores ipsas febres.



stram facit illius pertractatio. In eius vero disquisitione subsistamus paullulum, qui in harum progressu nonnunquam observatur. Quamvis enim haec res peculiarem dissertationem exigere videatur; tamen non possumus, quin, paucissimis tantum, horroris huius differentias eruere conemur. Etenim, cum exanthematicae febres, omnes fere, ad continuarum classem pertineant; inde nobis haud parum accedet emolumenti, et via sterneretur, qua ulterius progredi possimus, in explicando horrore, signo, in febribus exanthematicis, plerumque letali. Qua quidem in re, cum longe diuersissima sit horroris, febribus continuis superuenientis, indoles, ab omni errore tutiores vix procedere nos posse, persuasum habemus, quam si, secundum differentiam, supra (§. praeced. not. i.) a nobis datam, HEURNIO duce, in criticum atque symptomaticum illum dispe- scimus. *)

§. V.

Horror continuarum criticus.

Horrores criticos, vel vi vocis adiectae, cum omne criticum, dummodo vires suffecerint, ad recuperandam sanitatem, symbolam suam conferat, atque ita bonum sit dicendum, in febribus continuis quoque nihil mali significare, sed potius felicem morbi praenuntiare exitum, facile patet. Verum in eo omnis rei cardo vertitur, ut compertum habeamus, quinam sint vere critici dicendi. Saepe non, nisi euentu, atque ita nimis tarde, istud intelligimus. Tamen nonnulla sunt, quorum accurata consideratione, nobis, in tenebris errantibus, aliqua

*) Est is etiam horror, qui a causa externa manifesta, v. c. ab accedente aere frigido, producitur, quem idiopathicum quis dicere posset, nisi verendum, ne nimis subtilis distinctio videatur. Quicquid est, nostrum erit, ut

saltem adnotare, eiusmodi horrorem, in quavis febre, cuius causa sensibus statim patet, ab illo, qui altioris est indiginis, ne erroribus grauissimis facile pateat aditus, sollicite esse separandum atque distinguendum.

qua lux adfulgere! potest. Etenim, si eiusmodi horrores, postquam ad statum peruenit febris,^{p)} die decretorio,^{q)} vna cum aliis signis criticis bonae notae apparent: tantum abest, vt de eorum malo omine multum simus solliciti, vt potius prospera quaeuis expectemus. Atque hi sunt, de quibus HIPPOCRATES adfirmavit: *si quem febris ardens detineat, semel incidente rigore, eandem finire.*^{r)}

§. VI.

Criticus alius.

Sunt huius generis horrores non modo non timendi, sed expectandi potius, ceu instantis criticae euacuationis praenuntii. Neque minus critici quoque, certo quodam respectu, dicendi sunt, paullo deteriores his, alii, post peractam crisin aliquando conspicui. Imperfectam quidem illam, nec omnem, vti par erat, morbi fomitem foras eiectum fuisse, etiamsi optimi fuerint, denotant. Sed aegri ideo nondum conclamata res est. Nam cum, saltem aliquid morbifici expulsum fuerit; quod eliminandum restat, nunc imminuta eius copia, minus nocuum, collectis denuo paullulum viribus, subactum quoque iri, spes aliqua concipi potest. Metum tamen nobis semper adferunt, ne, aut residuae materiae morbificae, in locum quendam, per metastasin, fiat decubitus, aut praefens morbus in alium, minus fortasse periculosum, commutetur; quale quid in febre ardente non-

p) Eo enim demum tempore crisis expectari debet; et isti, de quibus loquimur, horrores, criticae euacuationis, quaecumque futura sit, sunt quasi antesignani, recte id adfirmante *Heurnio* in Comment. ad *Hipp. Aph.* 58. Sect. III. Conf. huc etiam *Galenus*, Lib. III. de Cris. Cap. 2. p. 420. et Cap. 5. p. 437. it. Lib. I. de Dieb. Crit. Cap. XI. p. 466.

segg. Tom. VIII. Opp. Add. Magnif. Praesid. Exercitat. I. de Vespertina Morb. Exacerbat. p. 59. segg.

q) Sic, qui sexto die incidunt, febris continuae horrores, sinistri sunt iudicii, testante id *Hipp. Aph.* 29. Sect. III.

r) *Aph.* 58. Sect. III. ὅπο καὶ αὐτὰ ἔχου μὲν ἐπιγινώσκου ἐρίως λυσις γίνεσθαι.



nonnumquam accidit, quam cum rigore transire in intermittentem, obseruatum legimus.¹⁾ In viroque casu minus tuti, atque prioribus peiores sunt dicendi; morbum enim longius protractum iri, ex iis fere semper praesagire licebit.²⁾

§. VII.

Horror continuarum symptomaticus.

Pessimus est, qui febris continuis, vt symptoma, superuenire interdum solet, horror. Cuius, quamuis ad institutum nostrum propius pertinere, vix videatur eius contemplatio, tamen vel ideo mentionem facere debemus, quoniam cum illo, de quo dicturi sumus, multa habet communia. Eandem enim saepe agnoscit causam; idem plerumque adfert periculum. Ipsius autem diagnosis haud difficilis est, modo attento animo omnia perpendamus. Si enim illis, horroris critici supra (§. V. et VI.) datis characteribus destituitur; si tempore cruditatis, in ipso febris incremento,³⁾ fractis iam atque maximopere debilitatis aegri viribus, iteratis vicibus, febre nihilominus ab impetu suo non remittente, sed potius nouas vires eundo acquirente,⁴⁾ accedit;

1) Vnicum nominasse sufficiat *Prosp. Alpinum*, qui in reconditae eruditionis libro, de praesig. vit. et mort. aegrotant. Lib. II. Cap. 15. aperte hoc testatur. De praedictione enim, ex frigiditate corporis, ibi agens, sic pergit: *Quae vero, frigiditas, c. noua in principio apparet, sed postea in die critico, cum signis decretoriis, crisis praenuntiat, aut febris continuuae mutationem in intermittentem.*

2) Vid in primis *Galen.* in Comment. ad 3. Prorrh. Text. 168.

3) Namque tunc intestini quidem motus naturae, in eo occupatae, vt materiam, morbum producentem, ab internis sedibus ad peripheriam expellat,

testis esse potest; sed simul quoque id denotabit, eam moturam quidem, atque cum omnia cruda adhuc sint, nil promoturam.

4) Quae omnia concinne, luculenter tamen, vt multis aliis in locis, ita praecipue Aph. 46 Sect. III. expressit *Hippocrates.* *ἢν εἶνος ἰσχυρῶς πορευθῆ μὴ διαλείποντι, ἢν ἀδυναμία ἴσχυρι, θανάσιμος.* Frequens in febris adfuitate rigor, fractis iam viribus, funestum; vt reddidit *Heurnius* in Comment. Significanter enim hic vsus est *Hipp.* voce *ἰσχυρῶς*, quod ab *ἐπιποσει* paullo contrarium, et veluti minus mitiorem obtinet sensum, multosque rigoris insulsum significat;



cedit; quis tum felicem et optatum morbi exitum sperandi erit locus? Certe rem eo tunc rediisse, vt extrema quaeuis metuenda sint, nemo est, qui infitias eat.

§. VIII.

Horror inflammatoriarum.

A scopo nostro propius abest horroris, pleuritidi atque peripneumoniae non solum, sed et aliorum, corporis nostri viscerum nobiliorum, inflammationibus superueniens symptoma; ita enim iure dicimus, cum numquam, eo quidem in casu, horrores critici expectari possint. Illi vero ad nos non pertinent, quibus, secundum summorum in arte medica virorum, SYDENHAMI,* BOERHAAVII,^y atque TRILLERI^z) obseruationes, stipati accedere solent hi morbi, humano generi adeo infesti; et quorum causas, data opera, inuestigauit, sed, si ingenue fatendum, quod res est, vix prorsus detexit BALLONIUS.^a) Nihil enim differunt ab illis februm continuarum,

B 2

fere

cat; quod ex Galen. adnotauit Ballonius, in Definit. Med. sub voce *iperitium* p. 23. Edit. Paris.

x) In Obseruat. Med. circa Morb. Acut. Hist. et Curat. Sect. VI. Cap. 3. p. 289. Edit. Londin. 1685. Ibi pleuritidis historiam proponens, a rigore, inquit, plerumque atque horrore oritur, quos excipiunt calor, sitis, inquietudo, et cetera februm symptomata, plus satis nota. De peripneumonia idem testatur C. 4. p. 298.

y) De Cognosc. et Curand. Morb. Aph. 883. Incipit, pleuritis sc., cum appetitu ciborum saepe magna; frigore; horrore; debilitate cet. Conf. Illustris Swietenii Comment. in hunc Aph. et Comment. alius, ipsi Berhaauio adscript. Part. III. p. 175.

z) In eximia eius Commentat. de Pleuritide, praefertim Cap. V.

a) Epidem. Lib. I. p. 90. Edit. cit. Vbi sequentem in modum ratiocinatur: *Qui sit, vt magna pars eorum, qui in pleuritida incidunt, horreat; cum tamen istud non videatur, esse de natura huius mali? HIPPOCRATES explicat (Lib. sc. I. de Morb. p. 29. Tom. II.) cur laboraturum pleuritide horror occiperet, atque ait: Cum latius natura carne nudum sit, prae omnibus corporis partibus, et non sit quicquam in ipso, quod veniatur, sed ipsum potius cauum sit, maxime rigorem percipit. Et cum riguerit, ac perfrigeratum fuerit, tum caro, quae est in laere, tum venae contrahuntur ac conuelluntur.*



fere omnium prodromis, quorum supra (§. III.) verbo tantum iniecit commemorationem. De his tantum sermo nobis est vagis atque intercurrentibus horroribus, siue potius horripilationibus, post praecedentem crisin, vel nullam, vel insidam, nec sufficientem ad eliminandum omne morbificum; apparentibus. Inde certe non multum laeti faustique ominis a nobis capi potest. Siue enim praesentem iamiam, aut breui saltem adfuturam, inflammatae partis gangraenosam indicant corruptionem; siue, si melius agitur cum aegrotato, facta suppuratione, empyema formatum iri, quod, vel vno imperu ruptum, cito eum sit suffocaturum, vel, pure humorum massae pedetentim paullatimque admisto, lenta tabe consumiturum, raro fallaci augurio ex iis praesagire licet. Vtrumque in causa est, vt eiusmodi horrores, in febribus inflammatoriis, pleuritide atque peripneumonia praecipue, suspecti nobis fere semper esse debeant.

§. VIII.

Criticus dici nequit.

Et pleuritidem atque peripneumoniam, ἀδελφεία ἰστα καὶ συγγενεία παθήματα, HIPPOCRATI dicta, et reliquas febres cum inflammatione nobilioris cuiusdam visceris coniunctas, horrores criticos expectandi, haud facile copiam nobis facere; quin immo symptomaticos, atque hinc perniciosos, metuendi, perpetuo fere ansam praebere, §pho praecedente adfirmavimus. Quod, cum in eo de horrore, exanthematicis febribus, praesertim variolis, tamquam symptoma superueniente, dicendorum summa contineatur, paullo fusius nunc explicari meretur. Febres continuas horrore, immo rigore critico, vel ante, vel post crisin accedente, aliquando solui, atque eo ipso, quod artis haud periti pro symptomate mortifero habent, ^{b)} sinistrum morbi euen-

^{b)} Egregie hoc confirmat supra laudatus WEDELIUS. Vidimus, inquit, a febre continua reconvalescentem, frigus rale, i. e. vt ex antecedentibus patet, horrorem

euentum auerruncari, ex iis, quae §. V. et VI. dicta sunt, patet. Idem et in inflammatoris morbis, quales sunt pleuritis atque peripneumonia, vsu nonnumquam venire, existimare quis posset. Sed vehementer profecto falleretur. Tantum enim est horro- rum istorum discrimen, ut cum illi, probe perspecta eorum causa, ad optimam spem incendant medentium animos; hi contra vltima quaeuis timere plerumque iubeant. Atque omnem rem, qua differentia haec nititur, duobus tantum verbis egregie expressit Gallorum alter Hippocrates, BALLONIUS, dum, praeunte ipso HIPPOCRATE Graeco, dixit: *Omnis rigor est aut à πῶς τῶν ἀγγέλων, aut ἀπὸ τῶν ἐντέλων.* Quod quidem si verum est, uti ex sequentibus patebit, facile erit indicatu, quae sit horro- rum, in febribus continuis, ab inflammatione immu- nibus, salutarium, in pleuritide atque peripneumonia contra, perniciosorum ratio.

§. X.

Quod probatur.

Pleuritis, de ea enim sola dicamus, est febris continua; sed eiusmodi, quae ab inflammatione interna originem ducit. Continuarum omnium haud eadem est ratio.^{d)} Licet enim ne-

B 3

gari

rorem summum, offerentem, ab aliis pro-
desperato habentem, ex hoc ipso medio ter-
mino euadentem. Vid. ei. Pathol. Med.
Dogmat. Sect. III. Cap. 8. p. 585 et 586.

e) Epidem. Lib. II. p. 273. Ipsa vero
haec duplex et diuersa rigoris causa ac
differentia, petita est ex ipso Hippocrate,
ut supra monuit, Lib. nempe Epidem.
V. Sect. III. p. 805. vbi vid. in primis
Galen. de varia quoque huius loci lectio-
ne varie differentem. Tom. VIII. p. 452.
Conf. Vall. sin. p. 640. Prosp. Martianus
p. 348. vt et Dureus ac Petrus in Com-

ment. p. 239. vbi ad Coac. Praenot. pro-
uocat, in quibus tamen, quantum equi-
dem nouimus, singularis illa distinctio
vix reperiunda.

d) Quod suo iam tempore agnouit
Galenus, aliarum, inquiens, febrium
(egerat autem antea de ephemeris)
quaedam ex inflammatione, quaedam ex
humoribus accendantur. Et quae ex in-
flammatione, velut inflammatarum par-
uum quaedam symptomata sunt, morbus
que ab adfecto organo denominationem
fere accipit. cet. Meth. Med. ad Glau-
Lib. I. Cap. 3.



gari id non possit, eas fere quasuis, si morte terminantur, tandem sic finiri, vt accedat partis cuiusdam internae gangraenosa quasi inflammatio, quae aegrum tollit; inde tamen minime sequitur, eandem inflammationem, a primo inuasionis tempore, adesse semper debere.^{e)} Horrores igitur, februm istarum comites, siue critici, siue symptomatici, erunt, ex mente quidem BALLONII, aut ipsius HIPPOCRATIS, ἀπὸ τῶν ἀγγέλων; eiusmodi nempe, qui a materia peregrina, per vasa antea libere mota, nunc eadem obstruente, producuntur. Hinc fit, vt in iis plerumque cutis praecipue adficiatur, frigorisque sensus in externis corporis partibus magis, quam in internis percipiatur. Atque hi salutare esse possunt, modo vires sufficiant, ad eliminandum corpori inimicam saburram; ab ea enim re sola, fere omnia dependent, et his deficientibus, erunt signum, secundum HIPPOCRATIS effatum, κέστημεν μὴ κέθον, decretorium non decernens. Praesente vero inflammatione, locum ideo habere nequeunt, quod tum, morbo fomitem praebens materia, non vaga, per vasa circumferatur, sed fixa, atque in vnum collecta, siue potius infarta, locum, longe alia producat symptomata.^{f)}

§. XI.

Horror is vnde?

Atque ita se res habet. Horrores, pleuritidi, siue cuiunque inflammatoriae febris, superuenientes, mutata rerum facie,

^{e)} Consentit saepe laudatus Ballonius. Qui fit, ait, vt in febris conuinis, perpetua horrescendi quaedam sit vicissitudo? An omnino metus suppurari in parte aliqua, quod magna medicorum pars suspicatur? Nequaquam. Epidem. Lib. II. p. 118. et 119.

^{f)} Testem habemus cel. Boehmerum, cuius, in Dissert. de Exanth. quae cum

febr. sunt, Different et Orig. diuers. §. XI. p. 21. verba haec sunt: Haec, (inflammatoriae febres) quarum plures species practici faciunt, eandem, quam ipsae inflammationes, causam habent, et a sola obstructione, fere semper a causa externa facta, oriuntur, ideoque in solo aucto motu circulatorio, siue peruersa humorum crasi consistunt. cet. Vid. tamen Not. g. §phi seq.

cie, aliam omnino agnoscere debent causam. Omnem quidem, praecipue partis nobilioris grauiorem inflammationem, quae sine feбри cogitari nequit, calorem, ruborem, dolorem atque tumorem inflammatae partis excitare, certum est; sed horrorem, vix, aut rarissime, obseruatum legimus. Neque expectari is commode potest. Siue enim humores laudabiles, quod omnino contingere interdum potest, siue corrupti, noxiisque particulis, ob acre, aut lentorem, quo scatent, in stasim procliuiibus, contaminati, in extremis vasculis stagent; in vtroque casu, horrori occasionem praebens causa, adesse nulla fere videtur. Quod si enim de inflammatione sermo nobis est, resolutione, qui optimus est cuiuslibet inflammationis, earum vero, de quibus loquimur, vnicus ferme salutaris exitus, breui discutienda: vnde tunc horror ἀπὸ τῶν ἀγγείων posset oriri; cum id, quod resolui debet, aut plane nulla, aut saltem vix notabili corruptionis labe inquinatum esse debeat? Certe, rebus ita comparatis, horribus eiusmodi, quales sunt februm continuarum, in inflammatoriis^g) nullus fere datur locus, et, si qui incidunt, tantum abest, vt critici, atque futurae resolutionis prodromi quasi sint dicendi, vt potius, illam nequaquam subssecuturam, certissimum paene haberi queant signum. Quod, cum ratione aliquatenus adsequi possimus, quamuis vix omnia ita, vt nihil dubitationis superfit, demonstrari queant, experientia quoque, ac virorum, omni laude maiorum, fide dignissimis obseruatis, comprobatum legimus.

§. XII.

g) Notandum tamen, ne temere quicquam adfirmemus, rem forsitan paullo aliter euenire posse, in inflammationibus illis, quae feбри, antea iam praesenti, vt morbo primario atque essentiali, symptomaticae aliquando superueniunt. Hae enim eadem, qua febris, populariter forte grassata, ingrediuntur

forma, et hinc Symptomata exhibent, non sibi, sed essentiali, cui accedunt morbo, propria atque familiaria. Quod in prognosi pariter, atque in curatione diligenter animaduertendum censuit Sydenhamus in Obseru. circa Morb. Acut. Hist. et Curat. passim praecipue Sect. VI. Cap. I.



A pure producitur.

In pleuritide itaque, siue quavis alia, visceris interni nobilioris inflammatione, cum horror ἀπὸ τῶν ἀγγείων haud facile oboriri queat, si quis apparet, procedente in primis, aut adulto iam ipso morbo, erit potius ἀπὸ τῶν ἐλλείων, atque tum tanto periculosior ac funestior.^{h)} Humores enim, qui in parte inflammata extra morum sunt constituti, si inflammatio fatis celeriter resolui nequit, quiete pariter, atque aliis ex causis, fieri non potest, quin corrumpantur. Corrupti, siue quod idem, in pus, si bene omnia succedunt, sin secus, in sanie commutati, per vasa resorbentia humorum massae adfundentur, nisi exitus ipsis concedatur, quod in inflammatione interna, si vquam, certe rarissime, euenire solet. Quo facto, cum subigi nequaquam possint, et nervos ab illis irritari, et frigoris sensum produci, facile intelligitur. Qui quidem effectus eo citius subsequi debet, cum omne pus, destructo calore nativo, frigidam quandam induere naturam, non sine aliqua veritatis specie, magnis praesertim viris, testibus suffragantibus,ⁱ⁾ adfirmari posse videatur. Inde igitur patet, cur in eiusmodi horrore, suppurationem aut breui futuram, aut factam iamiam indicante, frigus in internis partibus magis, quam quidem in externis, nisi tunc, cum ad extrema peruentum est,^{k)} plerumque percipiatur?

h) Τὰ ῥίγημα γὰρ τὰ ἀπὸ τῶν ἰλιείων κακοήθειαν, Rigores enim, ab ulceribus praesertim originem trahentes, pessimi sunt moris; grauiter, post ipsum Hippocratem sic monente Aretaeo. Lib. I. de morb. Acut. Curat. Cap. 6, p. 86. vbi conf. Petr. Petri. doctiss. Comment. p. 239.

i) ipso sc. Hippocrate Lib. III. de Morb. p. 125. et Lib. in primis de Vl-

ceribus, p. 665. seqq. alibique. Item Galeno, Comment. in Aph. 47. Sect. II. p. 85. Tom. VIII. Part. II. et passim alibi in Libb. Chirurg. Est enim pus se quidem vera, humor semiputris, ex sanguine alterato, et calore euicto; quem admodum ex Mercuriali pulvere adnotarunt Dictericus, Gorraeus, Foefius, alique plures.

k) Ut in suppuratis moribundis. Ex iis

tur? Cur vagi, atque per interualla, sine causa manifesta, accedant horrores isti? Adfusa nempe et infusa sanguini per interualla, atque sensim, puris portione; aut halitu tantum venenato, quod in iis praecipue accidit, qui, pure nondum facta, suppurationem praecedunt.

§. XIII.

Testimonia quaedam veterum.

Verum enim vero obiiciat aliquis, quod negari forte non potest, horrorem omnem, qui cum febre est, accuratius rem considerando, ἀπὸ τῶν ἀργέτων dici debere. Praeterea difficile esse, huius suppurationis, si quidem licitum est, ita illum nominare, indolem atque causas inuestigando detegere. Itaque, ne in re tanti momenti, theoriae, quam tradidimus, nimium confisi, alucinemur, de modo, quo horrores isti contingunt, verbum non amplius addamus; effectum potius spectemus, eumque testimoniis summorum, ad sensum omnium, in arte medica virorum, ex multis paucis tantum adductis, comprobemus. Vnum nominasse sufficeret, medicinae parentem, diuinum Coem, naturae felicissimum interpretem, atque accuratissimum obseruatorem. In eius scriptis, aurearum sententiarum vbique plenissimis, passim, praesertim vero in Coacis Praesagiis, multa inueniuntur, hanc rem egregie illustrantia. Immo, adnotante Illustr. SWIETENIO, ^{m)} tanta apud eum huius signi fuisse vide-

tur

iis enim obseruantur non pauci, testibus Hippocrate, Galeno, Aretaeo, Celso et aliis, qui aliquot diebus ante mortem, corpus fere totum frigidum habent. Vid. in primis Prosper. Aghin. de praes. vit. et mort. aegrotant. Lib. II. Cap. 14. p. 121.

1) Quod ipse fatetur Ill. SWIETENIUS. Primum fere, ait, signum inceptae suppura-

tionis internae est horripilatio vaga, mox desinens, repetita saepius, nullo certo ordine ac nulla manifesta causa, frigore v. c. admissa, certorum ducens. Causam illius horripilationis designare, forte difficilium foret; sufficit interim, obseruationes practicas docuisse, hoc symptoma semper adesse in hoc casu. Vid. ei. Comment. ad Aph. 834. Boerhaauii. ^{m)} Loc. cit.

C



tur auctoritas, vt, cum principium suppurationis accurate definire vellet, tempus inde computaturus, quò formati abscessus ruptura sit expectanda, rigoris praecipue meminerit. Taceamus illa, quae modo laudatus Illustr. SWIETENIVS, studio collegit; n) et aliquot saltem locos ex ipso HIPPOCRATE producamus, quibus nostram sententiam, quantum fieri potest, corroboremus. Ita igitur ille: *qui frequenter exsulant, et insuper rigent, perniciosum hoc est, et sub finem suppurationem habere comperiuntur, ventresque perturbatos.* o) Praecipue vero locus alius eximius notari meretur. *Horrore adfecti, inquit, frequenter ad suppurationem deueniunt; sed et febris ipsa talem ad suppurationem perducit.* p) Ex illo autem, tamquam ex fonte perenni purissimarum aquarum, omnes fere, qui post eum scripserunt, hausere medici, graeci pariter ac latini. Quorum omnia huc spectantia loca colligere, immensus et ab instituto nostro maxime alienus labor foret. Audiuisse nobis satis sit CAEL. AVRELIANVM, luculentissima huius rei testimonia passim perhibentem. Sic *vomicosis, inquit alicubi, q) vel collectione laborantibus, antecedente corporis horrore frigido, atque dolore pungenti, eodem tempore, hoc est, quo in vomica trans-eunt aegrotantes, sputa sequuntur quae antea nulla fuerant, reiecto prius pure, coaceruato in latere, collectionis causa.* Ex quibus omnibus abunde patet, hanc rem olim iamiam, primis medi-

n) Ibid.

o) Οἱ πυκνά ἰθιδρῶντες καὶ ἐπιρρίγιόντες, ἀλδρῖον· καὶ ἐπὶ τῆσι τελευτῆσι ἀμφαίνον τὰ ἐμπύημα ἔχοντες, καὶ κοιλίας ταραχάδεις. In Coac. Praenot. Init. p. 523.

p) Οἱ φρικώδεις πυκνά ἐς ἐμπύησιν ἐρχομένων· ἀτὰρ καὶ πρὸς τὸν τοῦτον ἄγει ἐς ἐμπύησιν. Paulo post ibidem p. 564. Vbi vid. Duret. Holler. Jacor. Lonsdon. et alios interpretes. Sed talia plura passim in seqq. auri istius libri, de Coac. Praenot.

quae studio iam omitimus, vt et, quae eundem in sensum leguntur, in Prognost. p. 460. et passim in fqq. it apud Aretaeum, de Caus. et Sign. Morb. Acut. Lib. I. Cap. 10. p. 9. et Lib. I. de Morb. Chron. Cap. 9. p. 38. nec non apud Paul. Aeginetam, et alios.

q) Acut. Pass. Lib. II. Cap. 17. p. 118. conf. et Cap. praec. ei. Libr. nec non in primis Cap. 10. Libr. V. Chron. Morb. p. 583.

medicinae fundatoribus, accuratissime omnia obseruantibus, cognitam atque perspectam fuisse.

§. XIII.

Testimonia recentiorum.

Nec defuere recentioribus temporibus, qui veterum aurea scripta nocturna diurnaue manu versantes, atque iis ducibus, naturae motus, in curandis morbis, scrutari adnites, idem obseruarunt. Testes adferri possent multi, modo per angustos, quibus circumscripti sumus, limites liceret. Neque tamen etiam opus esse iudicamus. Nam si PROSP. ALPINVM atque BOERHAAVIVM nominamus; duumuiorum istorum, si quod exstat, testimonium nobis erit instar omnium. Vterque autem hanc rem egregie confirmat. Ac Ille quidem, qui primus fere omnium, eam medicinae partem, quam semioticen appellamus, ex opacis, quibus, neglecta diu, obuoluta erat, tenebris, erudere conatus est, postquam ex HIPPOCRATE adnotauerat, horrores crebros, ad suppurationem et tabem inde denorandam, solos non sufficere, sed alia, quae recenseret, signa desiderari; tandem sic concludit: *sed tamen in febre continua, aut cum phlegmone interna, vel materia in pulmonibus putrescente, perpetuo indicabunt suppurationem, seu purulentiam, horrores multi, frequentes, inordinati, cum dolore et respiratione difficili.**) Hic vero luculentius rem totam enarrat. *Quaeritur, inquit, quomodo sciatur a medico quam certissime, quod abscessus ex inflammatione iam fiat? Respondetur: si cognoscamus omnia signa, quae docent omni loco, transire inflammationem in suppurationem; si nempe durauerit dolor per quatuor dies, die quarto minuitur, succedit pulsatio, grauitas*

C 2

*) de praef. Vit. et Mort. Aegrot. Lib. III. Cap. 11. p. 213.

*) Comment. supra laudat. Part. III. §. 893.



uitas deprehenditur, respiratio manet difficilis. Quando inflammatio in suppurationem desinit, tum semper fiunt horrores (observante HIPPOCR.) per corpus, quia pus in sanguinem infunditur. cet. An vllum huius rei clarius posset haberi testimonium? Certe nullum. Et horrores, pleuritidi non solum atque peripneumoniae, sed et quibusuis inflammationibus internis, in earum decursu, superuenientes,*) suppurationem fere semper indicare, extra omnem dubitationis aleam positum videtur.

§. XV.

Horror exanthematicarum.

Quantum periculi in pleuritide atque peripneumonia, suppurante inflammatione, abscessus eiusmodi interni, vel, si maius, empyema, inferant;*) nostrum non est, perquirere, praecipue cum res ipsa loquatur. Nobis sufficiat, notasse saltem, horrores, quos petrauctauimus, tale quid significare. Ad ipsam igitur horrorem febrium exanthematicarum considerationem, propius

*) Sic Galen. de loc. adfect. Lib. VI. Cap. 4. p. 516. Tom. VII. Opp. edit. cit. multis offendit, ex suppuratione renam, vesicae, hepatis, cet. eiusmodi horrores excitari.

v) Id olim iamiam observauit artis Coryphaeus. Dixit enim, *abscessuum lezales esse illos, qui pus effundunt in ro. Coac. Praenot. Sect. II. Cap. 11. §. 8.* Quamuis negari non possit, aut artis, aut prouidae naturae solertia, vias nonnumquam aperiri, praesertim per aluum, vel frequentius aliquanto, per vesicam, quibus pure feliciter ducto, pristinam recuperare possit valetudinem aeger, iam depositus visus. De quibus vid. *Aeracius*, Lib. I. de Caus. Acut. Morb. Cap. 9. p. 38. et Cap. 13. p. 43. it. *Galenus* Lib.

VI. de Loc. adfect. Cap. 4. Tom. VII. Opp. p. 517. Quem et vid. in Comment. ad Aph. 75. Sect. III. et Aph. 74. Sect. VII. p. 185. et p. 324. Tom. VIII. Part. II. Vid. et *Paul. Aegineta* Lib. III. in primis *Coel. Aureliani* Lib. V. de Morb. Chron. Cap. 10. p. 586 sqq. Conf. quoque huc maxime *Io. Langii* Epist. Medic. 40. Lib. II. p. 674 sqq. it. *Hildani* Obseru. Med. 31. Cent. II. p. 115 sqq. vt taceamus iam *Diemerbroeckium*, *Dodonaeum* et al. Vias autem haec data opera detegere admissus est *Marc. Aurel. Seuerinus* in Tr. de recond. Absces. Nat. praesertim in Consultar. sing. huic Tr. inserta. Tamen hic casus, vtpote rarissimi, nihil impediunt, quominus eiusmodi abscessus semper periculossimi sint dicendi.



propius accedimus; eorum causam, indolem atque effectum, toties funestum, indagaturi. Qua quidem in re ex antecedentibus multa in nostrum usum conuertere poterimus. Sunt enim et hi horrores ἀπὸ τῶν ἐλκείων; (§. XII.) atque hinc illis, pleurididis et peripneumoniae, simillimi. Quod sane nemini παράδοξον videbitur, qui secum perpenderit, febres exanthematicas omnes, simul quoque inflammatorias esse dicendas. In eo tantum differunt, quod maius periculum inferant, aegrosque citius plerumque interimant. Cuius rei, cum summam, medici in primis, quo cautus sit, in prognosi facienda, nominique suo atque famae parcat, attentionem mereatur, probabilem aliquam, si qua datur, adferre rationem, infra conabimur.

§. XVI.

Exanthematicae omnes inflammatoriae.

A febris exanthematicis autem inflammationis ideam numquam abesse posse, vix vlla probatione opus habere videtur. Cum enim exanthema omne febrile, ab acri humore, quacunque demum ex causa, in tenerrimis vasculis cutaneis stagnante eademque adrodente, originem ducat: abunde satis patet, fieri id sine inflammatione nequaquam posse. Totum discrimen rei in eo positum videtur, ut inflammatio haec, modo grauior, leuior interdum adsit; prout nimirum exanthemata ipsa, vel plura, vel pauciora erumpunt; siue, quod maiorem adfert rei differentiam, in cutis tantum superficie haerent, aut altius radices egerunt. Adesse tamen illam semper, etiam ex eo luculentissime demonstrari forte potest, quod eiusmodi dantur exanthemata febrilia, quae, postquam erupere, verum pus fouent. Id autem fieri nullo modo posse, nisi praegressa sit, partis nunc suppurantis, inflammatio, res est meridiana luce clarior. Hinc et febris, si qua adest, inflammatoria necessario



erit dicenda. ^pAccedit, quod ista quidem exanthemata vix non semper idiopathica sint dicenda; ^w) febrim igitur producent, ortui suo non abfimilem futuram. Quod cum negari forsitan haud queat; inde statim et id intelligitur, cum illis, quae sero tantum, aut lympha acri turgent, paullo aliter rem comparatam esse. In his nec febris multum plerumque vrget, nec inflammatio, nisi leuissima, spuria forte dicenda, iuncta est. Cum enim superficiem tantum occupent; cum ipsi, quorum stasi producuntur, humores, non multum malignitatis foueant: vnde tunc, aut grauis inflammatio, aut huius indiuidua comes, periculosa febris? Atque huc potissimum pertinent exanthemata miliaria, praesertim rubra, benigna; illa, quae feбри vricatae nomen dedere, nec non id genus alia plura. Quae omnia, aut breui, sine metu sinistri euentus, exsiccantur, aut, si rumpuntur, vix quicquam incommodi, praeter desquamationem epidermidos, post se relinquunt. Idem valet de morbillis, nisi singularis quaedam malignitatis causa subest; et praecipue de febre scarlatina, quam SYDENHAMVS*) descripsit, et non morbum, sed morbi tantum nomen appellauit.

§. XVII.

Excipiuntur nonnullae.

De his igitur exanthematibus, quamquam paucissimis eorum iniicienda erat memoria, in hac nostra dissertatione, quod in vniuersum monemus, proprie loquendo, sermo nobis non est. Febris enim, qua stipata aegros inuadunt, symptomata plerumque exhibere solet, adeo nullius, aut exigui momenti, vt
et

ⁿ) Quorsum in primis pertinent variolae, quarum materiam valde tenues, causticam, corruptam, inflammantem et exulcerantem dixit Hoffmannus' Med. Rat. System. Torn. IIII. Part. I. p. 142.
^s) in Lib. quem supra laudauimus, p. 287.

et sine medici ope, nonnumquam felicissime sanentur. Neque etiam inflammatio illis iuncta, diligentem admodum meretur attentionem; utpote quae, superficiem tantum occupans, in ipsos humores, vel nullam, vel minimam exferit virtutem. Quid igitur horrores, si qui apparent, multum mali significare possent? Certe aut nulli, nisi a causa externa, sensibus patente, accedent, aut si qui ingruunt, altioris indaginis, ideoque maligniores visi, eiusdem erunt indolis, cuius eos esse diximus, qui in continuis febribus, tamquam symptoma, aliquando obseruantur; eaque propter ex supra dictis (§. VII.) diiudicandi. Id vero dum adseueramus, negare nequaquam animus est, eiusmodi exanthematicas febres, omni semper malignitate vacare. Graue omnino quandoque periculum inferre, et deleteria indolis esse possunt;*) siue id singulari epidemicae constitutioni, siue corporibus impuris atque cacochymicis, in quae incidunt, vitio tribuendum. At enim vero, cum in malignis febribus omnibus, praesertim epidemice grassantibus, praeuisiones difficillimae atque incertae fere omnes, nondum satis perspecta earum indole et natura, esse soleant:**) certe et in his, horrores forte conspicuorum, eadem erit ratio; nisi quod ex iis, quae disputata sunt, patet, eosdem ut plurimum metum, abscessus interni cuiusdam rupri, adferre.

§. XVIII.

*) Quod, sicut ex obseruationibus practicis, de febribus exanthematicis, Spho praec. dictis, omnibus valet; ita in primis de morbillosa constat, quam tories funestam obseruauit *Hoffmannus* Lib. cit. Sect. I. Cap. 8. p. 102 sqq. et quam nos quoque, eo ipso tempore, quo haec scribimus, subito saepe atque improviso, multis funeris fuisse causam, nouimus. Praesertim vero tum semper res erit anticipitae plena periculi, cum morbus est completus, atque exanthemata diuersi generis vna erumpunt; cuiusmodi ex-

empla varia adduxit *Cel. Boeberus* in *Dissert. supra laudat. §. VII. p. 15.*

z) De acuris omnibus generatim id adfirmavit *Hippocr.* Aph. 19. Sect. II., de malignis epidemicis vero speciatim, ut verissimum accipiendum est; quarum genium adeo saepe absconditum dixit *Bagliuus*, ut in medendo caueri vix queat, quin vnus aut alter ex aegrotantibus, postquam primum apparuere, periclitetur. Vid. ei. *Pr. Méd. p. 225. Edit. Lugd. Bat. 1700.*



§. XVIII.

Serum ab ichore probe distinguendum.

In ea vero re summa opus est cautione. Dantur enim exanthemata febrilia, quae ad adsp̄ctum nil, nisi paucam quantitatem feri, laudabilis forsā, ad minimum non multum nociuae indolis, continere visa, post valde pernicioſa deprehenduntur; manifesto indicio, contentum istud fluidum, non serosum, sed ichorosum atque septicum dicendum potius fuisse. Diligenter igitur id animaduertendum. Neque difficile erit artis perito, ea dignoscere; siue sint idiopathica, siue symptomata: quis enim umquam id exanthematum genus criticum appellandum censeret? Vt signa alia taceamus; colore plerumque insignem latentem malitiam prodent. Is enim aut liuidus, aut purpureus, aut, quod pessimum est, niger quandoque obseruatur. Ad hanc classē referenda purpura alba maligna, praesertim puerperarum, a saniosa colluuie, in vtero collecta, inde sanguini adfusa, originem trahens; siue etiam febribus continuis aliis, symptomatis instar superueniens. Haec cum limpidas tantum atque aquosas pustulas, accuratius tamen contemplando, subliuidas, in suppurationem vix umquam tendentes, exhibeat, imponere posset incauto, nisi dirorum symptomatum comitans agmen, de maximo, in quo, eiusmodi febre decumbens aeger, versatur discrimine, certioſer quemlibet faceret. Pertinent huc quoque siue miliaria, siue alius generis exanthemata, internis inflammationibus, in gangraenam iamiam transituris, nonnumquam accedentia. Pertinent et rubicundae maculae, ipsaeque p̄techiae, in febribus malignis, p̄techizantibus dictis, immo peste ipsa, conspicuae. Quae vltimae, quamuis nec curim facile superent, nec suppurationem admittant, tantum abest, vt ideo flocci haberi debeant, vt potius, propter ingens, quod adferunt, periculum, summam attentionem requirant. Et quis tandem



tandem longum, eiusmodi exanthematibus impositorum nominum, contexeret catalogum? Praecipue, cum in omnibus, funesti euentus vna eademque subfit causa.

§. XVIII.

Exanthemata quaedam pessima.

Haec ipsa enim exanthemata, summae inflammationis, immo ipsius imminētis, aut iam praesentis gangraenae, internae cuiusdam partis, certissimum praebent indicium. Quod quidem, antecedentia symptomata consideranti, facile erit explicatu. Ad ea itaque attendere animum oportet. Quae cum satis dilucide nos doceant, quantum immineat periculum; aliis signis vix opus videtur. Tamen ad confirmandam, aegro funestam praedictionem, horror aduentitius suum quoque confert. Quam eo minus fallacem tum quidem fore, certi esse possumus, si, cessante grauiori symptomate omni, res esse in vado videtur, aegerque nihil conqueritur, praeter interni cuiusdam, infelicis semper ominis, frigoris sensum. Huic enim signo, in recensendis gangraenae internae indicis, primum locum, utpote minimum fallaci, a summis medicis concessum legimus; et nobis non deerit occasio, de ea re infra paullo fusius dicendi. Neque existimandum, talia exanthemata cutis tantum superficiem occupare. Fieri fortasse aliquando id potest, sine eo, ut de eorum malignitate aliquid propterea dematur. Sed imis haerent plerumque infixae medullis; maculaeque illae, siue pustulae, septica vi, non per cutim modo, sed per subiectas quoque

a) Conf. Cel. Boehmeri aliquoties laudat. iamiam Dissertat. §. XII. vbi totam hanc rem, obseruatis celeberrimorum medicorum, Brunneri, de Franckenau, Werlhofii, atque praecipue Molmarii,

egregie illustratam inuenimus; quibus add. in primis Hoffmanni Med. Rat. System. Tom. III. de Febr. Exanth. Capp. 7. 8. 9. 10 sqq.



quoque carnes, ad ossa vsque penetrant.^{b)} Quid igitur horrores in eo rerum statu portendent? Nihil aliud profecto, quam actam tragoediam, tristi carastrophe, breui finitum iri.

§. XX.

In his horror letalis.

In his vero febribus exanthematicis, si horrores infelicem morbi euentum, absente quoque hoc signo, nihilo tamen fecius plerumque subsecuturum, praenuntiare adfirmamus, atque id adductis multis rationibus probare adniteremur, cum res sit meridiano sole clarior, oleum cerre et operam perderemus. Quin potius ad illos, exanthematicarum febrium horrores, quorum magis abscondita est natura, considerandos nos accingimus. Diximus supra, (§. XVII.) in exanthematibus febrilibus, fero, aut lymphæ subacri modo, rurgidiusculis, leuiorem subesse inflammationis gradum; in suppuratis fecus. Prius verum quidem, non tamen sine summa cautione adsumendum, simul indicauimus; nostrum nunc est, vt posterius profequamur. Exanthemata igitur iam pertractanda nobis sumimus, verum pus continentia; in illis, quid horrores indicent, exposituri. Atque ad hanc quidem classẽ, accuratius re perpenſa, vnica fere et sola pertinent exanthemata variolosa; morbus, non maxime communis modo, sed et, verae pestis instar, haud raro truculentissimus. De variolis itaque dicemus; et si forte alia adhuc dantur exanthemata febrilia, pure praegnantia, illa exempli

^{b)} Quale quid in maculis purpureis, pesti superuenientibus, obseruauit *Diermerbroeckius*; quas, facta incisione, ab ipso periosteo initium ducere, et latiore basi, pyramidis instar, per medios musculos, recta sursum, vsque ad cutim ascendere, atque ibi in conum vergere,

inuenit. Vid. ei. Tr. de Pest. Arenaci 1646. p. 251. Ibidem et *Fesslii, Morrelli*, atque aliorum testimoniis comprobatur, eiusmodi exanthematibus, non tantum exteriorẽ corporis habitum, sed et interiora viscera, non fecus, ac per variolas et morbillos, obsideri.

exempli loco nobis erunt, ad diiudicandum, quae in his forte obseruantur. Sed, quo ordine procedamus, rem prius totam liceat enarrare.

§. XXI.

Horroris in febre variolosa descriptio.

Aegri nimirum, variolis decumbentes, dum attus eorum depascitur arida febris, inhorrescere interdum obseruantur; sine vlla quidem manifesta causa, quae horrorem istiusmodi producere valeret. Quod, sicut in principio februm continuarum omnium, (§. III.) et variolarum in primis fieri adsolet; ita adulto morbo, febre secundaria iam praesente, vel ipsa haud ita pridem superata, perniciosissimum est plerumque symptoma.^{c)} Atque tum quidem maximam partem hi horrores contingunt, variolis, externam superficiem corporis occupantibus, suppuratis, quin immo exsiccatis nonnumquam. Et quamvis ruta omnia credantur; anguis nihilo minus latet in herba, aegrum, qui omni periculo exemptus esse videbatur, cito trucidaturus. Quae res, cum omnino aliissimae sit indaginis, a paucis, quantum quidem nouimus, adhuc obseruata, diligentem sane considerationem, atque paullo accuratiorem, quoad eius fieri potest, sibi exposcit pertractationem.

§. XXII.

Interna variolis obstita.

Quo igitur mortis tam repentinae causam, atque hac inuenta, horroris, illam indicantis, indolem eruamus; aliis

D 2

quae

c) Absit a nostra sententia Auct. Diff. supr. laudet. de Horror. vt signo. Ita enim ille, Spbo XVII. de horrore in exanthematicis febribus agens, solet quocumque interdum, inquit, sub pustularum, va-

riolosarum nempe, iam incipiente exsiccatione, accedere horror, quem tamen neutiquam malum appellare possumus; quippe qui crisis bonam sudoriferam, vel et diureticam, superstites adhuc morbi reliquias elimi-



quaedam, huc aliquid facientia, repetenda sunt. Ac primo quidem, dum variolas, externas fere quasuis corporis partes deturpantes; dum oris interna, linguam vniuersam, totum denique faucium isthmum, quantum oculorum acie pertingere possumus, obsidentes videmus: nonne animum ad id diligenter attendentibus, suspicio ilico mouetur, et interiora, ad quae, non nisi mentis acie penetramus, eidem calamitati obnoxia, haec quoque pati' crudelia fata? Certe ratione id adsequi liceret, etiam si obseruationes deessent. Sed adsunt; dissectaque variolis defunctorum cadauera, rem extra omnem dubitationem posuere.^{d)} Non vniuersus canalis, alimentaris ductus, modo, cauumque pectoris atque abdominis; sed et ipsa viscera interna, variolosis pustulis obsita, deprehensa fuere. In his itaque partibus eadem, immo propter loci et adfectae partis conditionem, maior, quam in externis, oborietur inflammatio; eadem gignetur puris copia, ab eo, quod in exterioribus locis deprehenditur, nulla forte alia re distinctum, quam quod sit longe malignius, maiorique vi septica atque deleteria polleat. Id igitur probe animaduertendum; quippe quod solum ferme, effectum tam stupendum

eliminaturam, nuntiat. Quae, nobis maxime contraria adfertio, vtrum exceptionem nullam admittat, alii diiudicent: Nam quae rarius interdum contingunt; non tollunt ideo consuetum naturae ordinem.

d) Quod data opera, testimoniis celeberrimorum, in re anatomica, viro- rum Tb. Bartolini, Kerkringii, Boneti, Morgagni, aliorumque comprobauit Cel. Boeberus in Diss. cit. §. VII. not. m. Conf. et Hoffmanni Med. Rat. System. Tom. III. Sect. 1. Cap. 7. et passim alibi in ips. Opp. Rebus ita comparatis, mirum, consilio suo, variolosas pustulas maturas aperiendi, in confluentibus, im-

mo cohaerentibus, impossibili, in discretis, inuili, siue potius noxio, tantum tribuisse Cl. Tissotum. Vid. ei. Anleitung für das Landvolk, in Absicht auf seine Gesundheit. Zürich 1767. §. 216. p. 239. Non enim ab externis, sed ab internis solis, omne fere imminere periculum, docuit Trallesius in Diss. Epist. de Meth. Variol. Med. insuff. passim, praecipue §. 21. p. 108 sqq. It. in eximio libello, de Vexatiff. Argum. Infit. Variol. p. 200. vbi, vti in priore epistola, solide ostendit, vanam et inanem esse illam curam, in aperiendis per acum, lanceolam, aut forcicem, pustulis variolosis; quae ibi legantur.

pendum declaraturis, ad veram rationem rei exsequendum, aliquatenus sufficere potest.

§. XXIII.

Variolarum quaelibet, abscessus.

Variolosa autem exanthemata accuratius considerantibus, nonne ingenue fatendum est, eorum singula paruum abscessum aut apostema esse dicenda? Omnia enim in quavis pustula adesse deprehenduntur, quibus formati abscessus idea continetur; et quae recensere, cum sint notissima, superuacaneus labor foret. Quod cum in discretis, atque eam ipsam ob causam benignissimis plerumque variolis, *) locum habeat; quanto maiori iure de confluentibus id poterit adfirmari! In his longe ampliores atque profundiores abscessus, in omni externo cutis ambitu fieri videmus. Et dubitamus adhuc, in internis partibus idem quoque contingere? Sane, si confluentes externas conspiciamus, internas maxime confluentes suspicari perpetuo licebit. Atque ex illa iam ratione, hic aegri status erit periculosissimus. Etiam si enim nobis pus bonae notae atque laudabile fingamus: istud tamen semper corpori nostro inimicum esse, lubenter largiemur. Ab eo itaque, siue per venulas minimas humorum massae pedetentim adfuso, siue, rupto eiusmodi abscessu, vno impetu in cavitatem quandam corporis effuso, summa semper vitae imminere pericula, nemo infuturabitur. Quod et experientia edocemur; siquidem paene omnes, variolis extinctos, febri earum secundaria oppressos, animam efflasse nouimus.

D 3

§. XXIII.

*) In variolosis enim omnem salutis spem, in exanthematum paucitate, discrimen in eorum multitudine poni debere, post *Sydenhamum*, optime docuit *Trall-sius*, in *Diff. laudat. de Meth. Va-*

riol. *Med. cet. p. 84.* Licet negari non possit, quod et ipse *Sydenhamus* adnotauit, dari quandoque variolas, adeo malignas, vt, et numero paucissimae, aegrum trucidant.



§. XXIII.

Horror hinc gangraenae internae praenuntius.

Haec rerum est facies, variolis suppurare incipientibus. Et horrorem, tum quidem accidentium, quatenam causa, aut quae indoles esse potest? Dictum a nobis supra, (§. XI.) horribus, inflammatoriis febribus internis quibuscunque superuenientibus, non multum esse fidendum; cum inflammationis, in suppurationem transeuntis, perpetuo fere certissimum sint indicium. Exemplo pleuritis atque peripneumoniae id illustratum. Quod quidem nunc ad horrores febris variolosae, quae inflammatoria vniuersalis SYDENHAMI dicta fuit,^{f)} commodissime accommodari posset; nisi in his quaedam singularia expendenda venirent. Sunt quidem et hi horrores ἀπὸ τῶν ἐντέλων: quis enim unquam id negaret, cum corpus omne ulcusculis sit obsitum? Sed in eo differunt, quod citius necent; atque sic quidem illis, febrium inflammatarum horribus, qui lentam plerumque tabem subsequaturam denotant, palmam, si ita loqui fas est, praeripiunt. Neque etiam, sicut illi, futuram aut inceptam iamiam suppurationem indicare commode possunt. Ita enim variolosae febris, quae semper suppurationem producit, perquam commune forent symptoma. At enim vero non, nisi raro, et tum demum, postquam ad extrema peruentum est, in conspectum veniunt. Peiores igitur longe esse debent. Et, quemadmodum ex illis praesagire licebat, praesentem inflammationem, demum spe omni, optatam resolutionem promoueri posse, in suppurationem esse transitoriam: sic ex his, suppurationi gangraenam successisse, siue breui successuram, funesto prognostico adsequi, facile erit.

§. XXV.

^{f)} Vid. ei. saepius laudat. Observat. circa Morb. Acut. Hist. et Curat. Sect. III. Cap. 2. p. 135.

§. XXV.

Variolarum pus nunquam bonum.

Neque difficile adeo est, euentum hunc, non minus saepe insperatum, quam mortiferum, praediuinare; modo omnia, quae hic concurrunt, diligenter perpendamus. Variolarum pus, quo turgent, ab eo, quod in aliis inflammationibus generatur, diuersum, atque hoc longe malignius esse, multa nos edocent.^{g)} Ipsa earum causa hoc declarat. Quae quamuis detecta non sit; id tamen constat, variolosum miasma non esse modo subtilissimum, sed et valde venenatae naturae. Quod ex innumeris, quae in hoc morbo obseruantur, phaenomenis patet. Quo pacto itaque a causa maligna morbus benignior posset expectari? Et vnde tunc pus bonum? Ne desit dictis fides; experientiam testem adlegemus! Quae dira symptomata, aut quae pericula non adfert, ab illo venenato pure, humoribus admisto, accensa febris, variolarum secundaria dicta! A quouis pure, sanguini adfuso, mala cieri semper, dices, symptomata! Cientur sane; sed, quae indole noxia, atque vere pestifera, illa aequent, haud facile vlla! Febris quidem, nisi nimia puris copia, vno imperu effusa, subita suffocatione pereundum sit aegro, semper accenditur; ast lenta, et tum demum, cum perenni fonte heterogeneus hic humor adfluit, funesta. Hic contra acuta, immo acutissima excitatur. Sufficerent haec, ad cognoscendum variolosi puris malignam naturam; sed restant grauiora. Variolarum tristes nonnumquam reliquias in corpore spectare oportet. Hae puris huius toxicam vim abunde declarabunt.

g) Digna sunt memoratu, quae haec de re sentit BALLONIVS. *Mirum est, inquit, quod quaedam materia venenata, ut ea est, quae facti excombemata et variolae, non vertitur in pus, sed in quid simile puri, et in quendam nouam speciem pu-*

rredinis, quam natura non domat facile. Epidem. Lib. II. p. 199. Edit. cir. Tantus igitur vir, materiae variolosae ne puris quidem nomen, in scriptis suis, cedere dignissimis, concedere voluit!



rabunt. Cum innumera sint, quae ab hoc morbo, superato quoque, metui debent incommoda; nobis abscessuum tantum, post eum saepe relictorum, commemorationem adferre sit licitum! Et illis quidem, an peiores vlli deprehendantur, difficile erit diiudicare. Hoc certum est, mali moris semper deprehendi. Attamen post praegressas variolas, etiam optimas, superesse nouimus; a nulla alia re productos, quam a variolosi puris aliqua, quamuis exigua, e corpore non eliminata, aut ab humoribus haud subacta, portione.^{h)}

§. XXVI.

Internarum peius, consuentium pessimum.

Quae quidem omnia ita comparata sunt, vt ad variolas, optimae quoque notae, accommodari facile queant, nec pus benignum in illis vmq̄am admittant.ⁱ⁾ Quid autem de malignis; quid de confluentibus dicamus? In his, si nullam aliam ob causam, certe propter nimiam copiam, qua adest, longe perniciosius pus erit dicendum; in illis contra, et paucis guttulis admistum, semper septicam atque deleteriam indolem proder.

De

^{h)} Abscessus hinc mali moris plerumque, paedarthrocacen autem vnice fere et solum, a male perpuratis exanthematis, variolarum nempe et morbillorum, oriri statuit *Marc. Aurel. Severinus* in Tr. supr. laud. Lib. II. Cap. 5. p. 85. et Lib. V. Cap. 12. p. 303. Plures vero moestas, immo terribiles plane eiusmodi foeditissimorum abscessuum, vlcerum, ac mutilationum variarum, post ipsam quoque variolarum sanationem, relictarum historias ex Act. Nat. Curios. aliisque Scrip̄toribus medicis, quam diligentissime collectas, exhibet *Cel. Trallesius*, in Vexatiss. Argum. de Variol. Infit. p. 156 sqq. Quocum conf. Magnifici *Prae-*

dis nostri Epist. II. de Anthracibus et Variol. Veter. quae exstat *Opusc. Med. Tom. II. p. 59. et p. 33 sqq.*

ⁱ⁾ Paulo aliter sentit *Cl. Tissotus*, qui pus variolosum, proprie non esse venenum, statuit, sed saltem aliquod fermentum, quod non operetur, nisi mistum cum particulis, ad subeundam determinatam mutationem habilibus; adeoque non magis ab eo metuendum esse, quam a guttula lactis, aut aquae, humoribus admista. Vid. ei. Inoculationi iustitiae §. 67. Quae quidem vtrum vera sint, an secus, aliis iudicandum relinquimus.

De pustularum autem, interna loca occupantium, pure id in primis valebit. Hoc eo, quod fundunt externae, quodque, si optime omnia succedunt, ex parte saltem bonum censendum est, tanto peius semper erit, quanto quidem variolae ipsae internae, externis peiores deprehenduntur. Nec id aliter fieri potest. Id loci postulat conditio; id partium obsessarum euincit structura. Quae cum tenerrima, neruea in primis sit, atque tendinea, in quibus partibus nulla umquam suppuratio bene succedere potest: omni certe modo impedit, quo minus pus, exteriori simile, generetur. Ichorosam potius saniem, virtutem summe corrosiuam exferentem, produci credibile est. Eo magis credibile, quod et externum pus eandem nonnumquam acquirit indolem; in quo tamen, per minimos poros, subtilissima atque summe venenata aura, maximam partem exhalare potest. Nam et hoc considerari omnino meretur; cum ea res, ad conciliandum puri interno longe maiorem malignitatem, multum conferre videatur.

§. XXVII.

In gangraenam omnia procliuia.

Rebus ita comparatis, in gangraenam atque sphacelum, suppurantibus variolis, omnia esse procliuia, facile perspicitur. Hic enim suppurationis, qualem descripsimus, exitus plerumque esse solet. Neque nunc multum haesitandum, in augurando horrorum, dum forte apparentium, malo indicio. Sane in omen magni terroris semper erunt accipiendi. Inde enim quid aliud colligi potest, quam variolosa quaedam apostemata interna rumpi coepisse, effusoque pessimo pure, partes nonnullas in gangraenam tranfire. Quod ubi accidit, conclamata omnia esse, gelidamque mortem iam intus habitare, quilibet largietur. Atque totam hanc rem ratione aliquatenus, etiam si expe-

E
riencia



rientia deesset, adsequi possumus. Gangraenam enim omnem, nisi causae, illam producentes, remoueri queant, in sphacelum, hunc autem in mortem adfectae partis desinere, nouimus. Mortis autem, praeter putredinem, certius, quam frigus, indicium fere habemus nullum,^{k)} Frigoris igitur interni cuiusdam sensus, praegressis, quae inflammationem, in illis locis vehementiorem, praesentem antea declararunt, symptomatibus, internam aliquam partem sphacelo adfectam, siue, quod idem, emortuam denotabit. Quod quidem tristissimum augurium, sicut in febris inflammatoria grauiori interna omni, obseruatis iis, quae obseruanda in antecedentibus diximus, valet; ita in variolosa praecipue, in qua, nisi inflammationi pessimae obex ponatur, omnia citissime in perniciem ruunt, minime fallax erit pronuntiandum.

§. XXVIII.

Quam horror aduentitius indicat.

Hinc illae lacrymae! Hinc repentinae istae mortes, quibus variolis decumbentes oppressos, tum saepe oppressos, cum omnia securissima visa fuere, apud medicinae practicae scriptores passim legimus. Cuius quidem tristissimi exitus causam, quamquam saepe summe absconditam visam, ex iis, quae indicaui-
mus, aliquatenus perspicere licet. Siue enim abscessu vario-
loso interno, praecipue in parte nobiliori, respirationi infer-
uiente,

^{k)} Hinc et *Boerhauius*, in recensendis gangraenae exquisitae signis, frigoris praecipue meminit. Vid. ei. *Aph., de Cognosc. et Cur. Morb.* §. 429. Et *Hoffmannus*, de febribus inflammatoriis internis agens, sphacelationem ventriculi atque intestinorum, singultu pariter ac in primis sensu quodam frigoris, circa praecordia, interno, denotari obserua-

uit. *Med. Rat. System. Tom. III. Sect. I. Cap. 7. §. 10.* Alibi vero (*Cap. 15. §. 10. Sect. et Tom. ei.*) inter signa transitus inflammationis internae in sphacelum, internum frigoris sensum primo loco posuerat. Conf. quoque ei. *Dist. de Morb. Caus. recte cognosc.* Hal. hab. 1717. §. XI. p. 14. et passim alibi.

uiente, rupto, suffocantur aegri, vt inter alia plura, tristissimum Principis, post variolas subito extincti, exemplum, ab HOFFMANNO relatum, manifestius docet, de quo paullo inferius, aliquanto distinctius agemus; siue, resorpto pure venenato, sanguini humoribusque reliquis omnibus, putridus conciliatur status, atque sic inflammationis in gangraenam et sphacelum acceleratur transitus. Vltimum certe horrores, tum forte conspicuos, praenuntiare, ex dictis facile patet. Neque tunc multum opis a medico erit expectandum. Quis enim vumquam gangraenae, quae partem internam occupauit, mederi se velle, ausus fuerit adfirmare? Hic sanguinis missio suppetias nullas feret; opium, ab Anglis medicis, SYDENHAMO in primis, tantis elatum laudibus, nil proderit, quin potius magis nocebit; medicamenta leniter purgantia, MEADIO et FREINDIO¹⁾ praecipue, in febre variolarum secundaria, familiaria, optatum nullum edent effectum; cortex quoque peruianus ipse, optimum illud antisepticum remedium, ad quem, inflammationis, in gangraenam tendentis, progressum inhibitori, tamquam ad sacram ancoram confugimus, frustra hic adhibebitur. *Et, si haec non iuuent; nescio, quid iuuare possit*, dixit olim, methodum, feбри variolarum secundariae medendi, discipulis proponens, summus BOERHAAVIUS.¹¹⁾ Omnis cura, si qua datur, in prouidendo consistit; vt impediamus, quo minus malum latius serpat, auctaque vis morbi, vitae insidias fruatur. Verum, hoc opus, hic labor est; et dolendum sane, optatum hunc saepe finem, ob summam morbi malignitatem, adsequi nos non posse, licet omnem moueamus lapidem, omnes intendamus neruos.

E 2

§. XXVIII.

1) Conf. huc in primis ei. Epist. ad Meadium scripta, de purgantibus, in secundaria, variolarum confluentium, febre.

11) Comment. saep. laudat. Part. V. p. 319.



§. XXVIII.

Circumspecte itaque prognostico utendum.

Etiamsi vero haec omnia sint verissima, et in eo tristissimo rerum statu, sero medicina paretur; nihilominus tamen res, summa attentione digna. Ad prognosin enim, vix unquam fallacem, faciendam, multum confert. *Generosi autem medici est*, ait alicubi HIPPOCRATES, *praeteritorum reminisci, praesentia perpendere, futura praevidere.* Et, si in ullo alio morbo, certe in febre variolosa, incertissima sunt omnia, de vita et morte, iudicia.^{m)} Cauendum igitur, ne tunc, cum omnia iam conclamata sunt, vana spe adstantes lactemus. Suspicionem sane, commissis erroribus eiusmodi grauissimis, semper mouebimus, nostra periisse culpa, qui non, nisi diuina manu singulare auxilium ferente, seruari poterant. Quae tamen, si prognostico illo rectius vfi, mortem proxime instare, praedixerimus, facile euitari poterat. Praecipue vero id animaduertendum, ne ex horroribus istis, quos semper pessimos esse, vidimus, boni quid ominemur. Etenim, vt supra adnotatum est, frequenter tum demum apparent, cum, exsiccatis pustulis variolosis externis, omnia in saluo esse creduntur. Quam procliuè est, simul vero quam turpe, et indignum medico, aegris in eiusmodi statu versantibus, externa rerum facie, optima quaeuis pollicente, decipi! Profecto fieri id non potest, sine insigni et nominis et famae iactura. Hinc, quod olim de morbis omnibus vniuersè adfirmavit BALLONIVS:ⁿ⁾ *in iis paene omnia timenda, neque oportere nos securos esse de illis, praesertim si pars aliqua primaria laboret, donec aegros nostros conualuisse viderimus;* de febre variolarum secundaria in primis

^{m)} Docente id Meadio, de Variol. et Morbill. C. 3 p. 30.

ⁿ⁾ Ephem. Lib. II. p. 205.

mis dictum accipi debet, cuius exitum adeo dubium et ancipitem censuit BOERHAAVIUS,^{o)} vt in omni eius decursu, medicum semper adesse, summe necessarium duxerit, addita ratione: *miserimum hunc esse statum, suppurationis nempe, et saepe aegros subito mori, ob pus ad interiora delapsum.*^{p)} Neque tum, cum febris illa superata videtur, arbitrandum, in portu nauigare aegros. Non enim variolosae pustulae omnes vna erumpunt, maturescunt atque exsiccantur. Saepe post vnum alterumque diem larga earum seges denuo propullulat.^{q)} Quod cum

o) Vid. ei. Comment. ad Aph. 1402. Edit. cit.

p) Conf. etiam Meadius loc. cit. qui eandem adduxit causam. *Neque sane dubito*, inquit, *quoniam inopinatae istae mortes, quae aliquando sub finem huius morbi, cum nullus omnino merus subesse videatur, aegrosantes opprimunt, ex profusa, in hanc, aut illam partem nobiliorem, exantibezurum sanie, contingant.* Quod et olim, suo iam tempore, ex parte intellexit *Ballonius*; qui, postquam nonnullos ob eandem fere rationem, subito extinctos viderat, enarratis eorum historiis, tandem subiungit: *Incredibile, quanta symptomata adferat aura venenata, a pure extracta* Ephem. Lib. II. p. 197. In primis vero huc conferendus est *Hoffmannus*, quem toties iam adlegauimus, Med. Rat. Systemat. Tom. III. Sect. I. Cap. 7. vbi p. 143. inter alia refert casum luctuosissimum Principis cuiusdam iuuentutis, qui, post superatas variolas, languebat potius, quam valebat; donec medicis nimium securis, subito exstingueretur; Vnde, aperto post mortem abdomine, ex diaphragmate, acie castrici laeso, sanies copiosa stillabat, et dissecto demum thorace, ingens puris collecti copia in

conspectum prodibat, totusque sinister pulmo, ad vasa vsque consumtus, et in tabum resolutus deprehendebatur. Quod solum, horrendum profecto, exemplum, medicos cautiore ac timidiore reddere potest; ne variolis, externe iam persanatis atque resicatis, nimium confidant, aut tum omnia in vado esse credant, quum potius saepe adhuc in fato dubio et ancipiti sint, tristissimamque rerum omnium catastrophem celerime inducant.

q) Non vero post vnum alterumque diem solum, sed nouam plane, post romum 12mumque diem, immo multo tardius aliquando, successisse eruptionem, ab iis, qui de variolis scripsere, *Sydenhamo* in primis, *Meadio*, *Freindio*, *Huxhamo* et aliis, obseruatum legimus. Praecipue vero in *Transact. Angl. nup. Vitemberg. edit. Tom. XXXXVII. p. 13.* memorabilis, hanc rem egregie illustrans, habetur casus foeminae, LXXIII. annorum, quae post XV diem, exsiccatis prioribus variolis omnibus, morboque iam desperato viso, maximo cum vitae periculo, a quo tamen, largiori corticis peruvianii vsu, liberatur, nouam plane febrim variolosam experta est.



cum in externis contingere quotidie videamus; cur non idem de internis suspicari quoque liceat? Certe, quamvis coniectura modo id adsequi nobis datum sit: tamen accidere ita nonnumquam, a vero abhorreere nequaquam videretur. Nam loci differentiam id impedire, persuadere sibi vix quisquam poterit. Et, si negari id nequit; simul quoque de eo dubitandum haud erit, posteriores variolas, prioribus longe esse deteriores; quippe quae a viribus vitae, antecedente morbo fractis atque collapsis, aegre superantur, et ab humoribus, venenato pure, quo scitent, iam corruptis, inque putredinem maxime procliuibus, haud facili negotio subiguntur. Longe igitur maius ab illis, quam quidem ab his, aegro imminet periculum. Quae omnia ita comparata sunt, vt a medico, futurum morbi exitum praedicturo, vix satis ponderari queant.







VD
18

ULB Halle 3
005 361 745








DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS
DE
**HORRORE IN FEBRIBVS
EXANTHEMATICIS**
PRAESERTIM VARIOLIS SIGNO PLERVMQVE LETALI

QVAM
AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE
DANIELE WILHELMO TRILLERO
PHILOS. ET MED. DOCT.
CONSILIAR. AVL. ELECT. MED. PROFESSORE PRIMAR.
ET ILLVSTR. ACADEM. SCIENT. BONONIENSIS SODALI
FACVLTAT. MEDICAE H. T. DECANO
PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO
DISCEPTATIONI PVBLICAE
D. XVI. IVN. A. R. S. C M D C C L X V I I I I I I I
H A B E N D A E
O F F E R T
AVCTOR ET RESPONDENS
CHRISTIANVS GOTTHELF SCHATTERVS
ARNOLDSGRÜNA VARISCVS
MEDICINAE CANDIDATVS.

WITTEBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYFIS.

35

1769
5-6

W. 2. 1. a. 2. 24